

cilicio circumdatus facinus suum flevit atque ita erga se misericordiam Dei provocavit, ut cunctis eum absolveret malis. Sic enim ait : « Et dixit Deus ad Heliam : « Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea et quia fle-
40 vit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius. » Sed et post hunc iterum Manasses qui omnes tyrannos immanitate scelerum superaverat, qui cultum divinae religionis et observantiam legis everterat, qui templum Dei idolis repleverat, caelesti cultu vacuatum, hic ergo
45 impietate scelerum supergrediens omnem memoriam, tamen quia paenituit inter amicos Dei postmodum numeratus est. Quod si vel hic vel illi quos supra memoravimus, considerantes immanitatem scelerum suorum conversionis et paenitentiae reditum desperassent, ab omnibus
50 utique bonis quae eos ex emendatione persecuti sunt, decidissent. Quinimo respicientes ad ineffabiles miserationes Dei et immensae bonitatis eius profundum, diabolica quidem a cervicibus suis desperationis vincla solverunt, suscitantes vero semetipsos conversi sunt ad
55 virtutis viam et revocantes a praecipitio pedem cursum consummaverunt bonum. Haec quidem de exemplis sint nobis dicta Sanctorum. Audi nunc quomodo etiam sermonibus per prophetas ad conversionem invitemur a Domino. « Hodie, inquit, si vocem eius audieritis, nolite
60 obdurare corda vestra sicut in exacerbatione. » Quo autem dicit hodie omne tempus quod vivimus indicat etiam si usque ad ultimam, si ita res accidat, senectutem. Non enim temporis longitudine sed affectus sinceritate paenitudo pensatur, aut non legimus Levitas peccatum

et sanatus est et conversus est ad deum et servavit vitam suam